

Nostros Magnificos Christophorum Banffy, Praesidij nostri Nemptij Capitaneum ac Consiliarium nostrum Nicolaum Draskouich de Trakostyan, Cubicularium Nostrum, et Petrum Rattkay de Nagy Thabor, et Egregium Stephanum Pathatic, praefati Regni nostri Sclavoniae Prothonotarium et Tabulae nostrae Regiae Assessorem, adsciscere; sed et Antesignanos praefatorum Vallachorum certificare, teque in Sclavoniam conferre, ibidemque, si praefati Commissarii nostri comparuerint, cum eisdem, sin minus, vigore Articuli, loco absentium alios, nulla tamen prorsus ratione interessatos, substituere sicque rebus recte dispositis, ordinatisque et conclusis, praefatos universos Vallachos iurisdictioni dominorum terrestrium, quorum fundos incolunt, restituere, limitatisque Terragio, redditibus et censibus per eosdem Vallachos imposterum ratione fundi quem incolunt solvendis et praestandis, donec commodiora alluxerint tempora, quibus eisdem Regnicolis utilior dubio procul occurreret occasio, tradere, assignare, perpetuo tenendos, possidendos pariter et habendos, sine ulla cuiuspiam difficultate, molestia, dilatione, subterfugio quovis, penes sancitum Articulum, totam rem componere, sicque demum pro futura cautella amborum partium eiusmodi deliberatione, ordinationeque et determinatione, litteras Vestras sub sigillis Vestris, partibus ipsis, modis omnibus extradare debeatis et teneamini. Quibus peractis defectus etiam circa officium dignitatis Banalis hactenus quoquo modo introductos, realiter cognoscere, ut super eo etiam puncto Nos publicis Constitutionibus et Diplomatis accomodare possimus, nobis fideliter rescribere debeatis. Praeterea certae quaedam terrae a Possessione Jellekoucz dicta et ad fidelem nostrum Spectabilem ac Magnificum Comitem Thomam Erdeödy de Moniorokerek, Montis Claudij et Comitatus Varasdiensis Comitem perpetuum etc. pertinentes, avulsae et ad Praesidium Caproncza occupatae esse dicuntur. Hanc quoque Controuersiam uno contextu per Vos reuideri, complanari, compertaque rei veritate, restitui volumus et mandamus. Nec secus feceritis. Datum in Ciuitate Nostra Vienna, die duodecima Mensis Julij. Anno MDCXX.

Ferdinandus m. p.

Valentinus Leepes

Electus Archiepiscopus Colocensis,

Laurentius Ferenczfy m. p.

Ex Prothocello Regni Congregationum 1601—1635 p. 272.